



1688.

1. Barth, Godefridus: De beneficio abhincuti hereditatem<sup>te</sup>  
paterna ad effectum exigenti dotem promissam. Rec.

1747.

2. Berger, Christian Godefrid: De anno intercalari.

3. Fide Ferber, Carl Theodorus: De stipulatione tertio

facta.

4. Glaserus, Hieronymus Fridricus: De circumductione  
termini.

5. Jacobi, Christianus Benjamin: De curatore mulieris

Saxonicis. 2 Exempl. 1688: 1717.

6. Ludovici, Christianus: De officio delinquentium  
instructa poenarum.

7. Menckerus, Luederus: De lege commutatoria  
jure reprobata. 2 Exempl. 1688: 1737.

8. Menckerus, Luederus: De impunitate commata  
in delictis. 2 Exempl.



1688.

9. Mothius, Johannes: De variis leserarum veteribus  
usurpatarum generibus.
10. Mylius, Andreas: De exceptione excessionis extraneae  
possessori competente.
11. Mylius, Andreas: De provasallo.
12. Mylius, Andreas: De iuribus circa musicos  
ecclesiasticos.
13. Philippus, Fridorius: De praescriptione immunitatis  
in tribus. 1. S. 1688: 1745
14. Prutius, Jo. Georg: ΠΕΝΤΟΝ ΨΕΥΔΟΣ seu primus  
falsum Thomae Hobbesii.
15. Rechenberg, Adamus: De strategematibus politicis
16. Rechenberg, Adamus: De mutatione formae status  
que 1. Imperii R. Germanici.
17. Redel, Carolus Andreas: De defensione sua  
adversus aggressorem.



1688

18. Redel, Cornelius Aureus: De juramento casto
19. Schreiter, Christophorus: De divisione rerum  
Communium. Disp. I. Preliminaria divisionis
20. Schwencken dofferus, Barthel. Leonhardus: De bonorum  
de communiore bonorum conjugali
21. Seuff, Cornelius Samuel: De antiquibus funeribus  
veterum.
- 22<sup>a. b.</sup> Thomarius, Christianus: De sponsione Po-  
maurum Numantina. 2 Seuff. 1658. 1731.
23. Istius, Gualter Gerhardt: De obligatione ex  
testamento imperfecto.



16

9

10

11

12

13

14

1

16

1

Faint, illegible handwriting in German script, likely a list or index of names and dates.





12073

N<sup>o</sup> 12

1688, 9

12

J

DISSERTATIO PHILOLOGICA

FA

De

VARIIS TESSERA-  
RUM VETERIBUS  
USURPATARUM  
GENERIBUS,

QUA ET BREVISSIME ATTINGUNTUR TESSERÆ  
MILITARES CHRISTIANORUM,

*Superioribus Consistentibus*

P. P.

à

M. JOHANNNE MOEBIO,

Martisburgensi, S. S. Theol. Baccalaureo,

RESPONDENTE

GOTHFREDO Steinbrecher/

Lüzena Misnico,

Die 28. M. Martii, A. C. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> LXXXIIX.

---

LIPSIÆ,

Literis JOHANNIS COLERIANIS.

2 1/2





Dissertatio Philologica

VARIIS TESSERA-  
RUM VETERIBUS  
USURPATARIUM

GENERICIS

QUAE ET BREVISSIME ATTINGUNTUR TESSERAE  
MILITARES CHRISTIANISSIMAE

Superioribus Conspectibus

P. P.

M. JOHANNI M. OEBIO

Manuscriptum, 2. Theol. Bibliotheca

RESPONDENTE

GOTTFREDO GIMBOLDI

Licentia Missica

Die 28. Martii, A.C. 1817

L.P. 216

Ex Off. JOHANNIS COLLEMANI







**M**Os perverustus invaluit, ut quicumque Doctis oculis exhibere scriptum aliquod induerunt in animum, præfigant huic suo labori quædam veluti antipagmenta, iisque explicent Lectori tum utilitatem tum necessitatem operis, quod sibi sumserunt pertractandum. Quæ quidem consuetudo etiam penitus culpari non possit, facit tamen persæpe, ut parum gratæ sint contextæ laudes argumenti Lectoribus, putantibus, communes istas esse ac tralatitiâs, & posse aptari pro cujusvis arbitrato argumento cuivis. Quare hac omni præfatione abstinemus, & quod animo sedet Lectorum oculis exponere thema, absque omni verborum ambage *ὄν τῆ θεῶν παλάμα* evolvere ingredimur. Faxit Deus feliciter!

## CAP. I.

**T**essera, vox est origine græca: græcè enim *τέσσαρα* (in neutro genere) signat quatuor, quemadmodum *τέσσαρες* in masculino, & *ἑξ* n. exprimit numerum eundem. Vide Lexica. Quod autem *a* migret in *e* & *τέσσαρες* dicatur pro *τέσσαρα* id ex lonum loquendi consuetudine manare existimat Hoffm. in *Lexico universali tom. 2. f. m. 37.* Ex hac etymologia conficiunt, ii, qui nobis concinnarunt Lexica, notare proprie hanc vocem id, quod est quadratum. Ratio hujus etymologiæ patet Hoffmanno l. c. *quod nempe* inquiringi, *omni ex parte esset quadrata*, scil. tessera. Sed uti de quibusdam hujus generis tessera id negare nec possumus nec volumus, ita vicissim necessario fatendum est, in plurimis etymologiæ rationem nos latere.

Quatuor fere genera tesserarum, apud Latinos autores se reperisse, asserit *Stuckius in Antiquitatibus Convivalibus l. 1. c. 27. f. m. 99.* sed plura apud Latinos autores reperiuntur, quibus usi Vereres siuti ex jam dicendis sole, mecridiano clarius dispalescet. Quæ, ut ea summatim complectamur, hæc sunt: tesserae hospitales, frumentariæ,

A 2

num.



nummaria, olearia, coenaria, tesseræ rapinae consecrata, lusoria, negotiales, ac denique militares. De hospitalibus & frumentariis in hoc capite, de reliquis, in sequentibus.

Tesseræ hospitales (præcedant hæ) signa fuerunt, quæ ad faciendam hospitalitatem inter se mutuo adhibebant Veteres: ac de his opusculum quoddam duodecim constans plagulis, multis figuris æneis refertum, luci publicæ donavit *Jacobus Philippus Tomasinus, Episcopus Aemoniensis*, quo in meletemate, *Amstelodami a. 1670* typis impresso, utut non inutiliter versata fuerit ejus industria, illud tamen in eo jure mihi posse videor notare, quod titulum huic suo libello præfixerit non adæquatum. Id inde ostendo. Triginta duobus capitibus absolvitur iste labor, sed ex iis omnibus solum caput 16. agit de tesseris hospitalitatis, reliquis enucleantibus hospitalitatem & ritus hospitalitatis, Romanis & Græcis, tum & aliis gentibus usurpatos. Ergo cum minima pars istius diatribes agat de tesseris hospitalitatis, haud præter rem, mea quidem opinione, fecisset, si de hospitalitate & ritibus hospitalitatis, non autem de tesseris hospitalitatis inscripisset opusculum. Quicquid interim sit de titulo, illud in aprico est, in capite 16. quo disserit de hospitalitate Christianorum primævi seculi, non penitus aliis præripuisse eum omnia, quæ tractari in isto capite poterant, ac debebant. De quibus nos dicemus brevi, si prius de tesseris hospitalitatis Romanorum nonnulla, privata lectione observata, in medium attulerimus. *Plautus in Pœnulo act. 5. scen. 1. v. 25. seqq.* ita loquentem inducit Pœnum:

*Sed mihi antehac hospes Antidamas fuit,  
Eum fecisse ajunt, sibi quod faciundum fuit,  
Ejus filium hic prædicant esse Agorastoclem.  
Deum hospitem ac tesseram mecum fero.*

Ex Budæo ita commentatur in hunc locum *Taubmannus p. m. 1093.* fuit antiqui moris, tesseram dare hospitibus dimidiatam, quam, quicumque attulisset ad hospitem, continuo agnoscere possit, & hospitio excipi tanquam amicus & vetus hospes. Hoc autem jus necessitudinis ad posteros transibat. Deus autem Hospitalis *Jupiter Xenius* dicebatur, quem invocabant: quemadmodum amici *Philius Jovem*, & sodales *Heterium*. Sane de *Jove Hospitali* canit etiam *Homerus lib. 9. Odyss. v. 270. & 271.*

*Ζεὺς δ' ἐπιμηΐτωρ ἰκστῶν τε ξείνων τε  
ξείνῳ, ὃς ξείνοισιν αἰεὶ ἀδολοῖσιν ὄνηδεις,  
Jupiter ultor est supplicumque hospitumque  
Hospitalis, qui simul hospitibus verecundis opitulatur.*

Ne



Nec Cicero illius memoriam ex animo amisit, l. 2. Epist. ad Quintum Fratrem, 12. sed non faciam, inquiens, ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis Hospitalis. Virgilius quoque de eo Aneid. lib. 1. v. 735. seqq.

Juppiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur)

Hunc lætum Tyriisque diem, Trojaque profectis

Esse velis — — — — —

Verum & alius Plauti locus, morem tesserarum beneficio sancienti hospitalitatem, nobis inculcat in *cit. Comœd. act. 5. scen. 2. v. 87. seqq.* ubi hujusmodi inter se commutant verba Pœnus & Agorastocles:

POE. hem quid ego audio.

AG. Antidamæ gnatum me esse. POE. si ita est, tesseram conferre si vis hospitalem, eccam attuli.

AG. Agedum huc ostende, est par probe: nam habeo domum.

POE. O mi hospes salve multum! nam mihi tuus pater,

Pater tuus ergo hospes Antidamas fuit:

Hec mihi hospitalis tessera cum illo fuit.

AG. Ergo hic apud me hospitium tibi præbebitur.

Ex hisce locis omnibus radiat ille ritus, quem volumus. Porro de eo, qui jus hospitii violarat, dictum fuisse, confregisse tesseram, conantur aliqui planum facere ex hoc loco Plautino, desumpto è *Cistellaria act. 2. scen. 1. v. 26. & 27.*

ME. Abi querere, ubi jurando tuo satis sit subsidii:

Hic apud nos jam, Alcesimarche, confregisti tesseram.

Confregisti tesseram, i. e. jus hospitii violasti, ait Taubmannus in *Comment. ad b. l. p. m. 448.* Favet huic expositioni quoque Tomasinus in *libello de tesseris hospitalitatis c. 28. p. 201.* Sed refutat hos scholion Dissaldæi unius e Plauti interpretibus, quod præter oculos ponit Gronovius in *sua editone laudati Comici p. m. 335.* indicans de violato hospitii jure hic non agi, sed de fide non servata, & sicuti tesseram hospitalem fregisse, per proverbium dictus sit, qui jus hospitii violasset, sic & fidei tesseram, qui fidelitatem non servasset. Explicationem inter has duas mediam suggerit Erasmus in *Chiliade 1. Centur. 10 f. m. 334.* apud Plautum (inquit ille) in *Cistellaria, confregisse tesseram dicitur, qui sibi reditum in domum aliquam præcluserit.*

Verum promissi memores jam ea allaborabimus expedire, quæ in Tomasini diatribæ philologica planè nusquam comparent. Nimirum Tertulliani in *libro de Prescriptione cap. 6. f. m. 113.* hæc sunt verba:



ba: omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Ita qua tot ac tanta Ecclesia, unam esse illam ab Apostolis primam ( in editione Rigaltii f. m. 208. ita lego: itaque tot ac tantæ Ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima ) ex qua omnes. Sic omnes prima & omnes Apostolica, dum unam omnes probant unitatem. Communicatio pacis & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis: qua jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio. Audiamus Beatum Rhenanum in hunc locum f. m. 110 & 111: expone ita: quæ tot ac tantæ Ecclesiæ, subaudi: sunt, unam esse, subaudi: necesse est. Communicatio pacis & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis ( sic enim restituimus, adjuvante consensu ve terum codicum, quod prius legebatur contestatio ) subaudi: jura sunt Ecclesiæ. Eleganter autem à tessera, novator vocabulorum Tertullianus verbum finxit contesserare, unde contesseratio. Id significat conjunctionem familiariorum, qua per signum fiat. Nam tessera signum erat apud Veteres hospitale, cujus ostensione, si quem redisse contigisset, statim agnoscebatur. Unde Plautinum illud: confregisti tesseram. Atque haud scio, an per primum salutatio, compellatio per secundum, denique per tertium sacrosancta communio intelligantur. Nam constat ex Veterum monumentis majores nostros, peregre advenientibus hominibus probata Religionis & fidei, ( V. Casaub. Exer. Anti-Bar. 16. n. 35. p. m. 374. ) corpus Domini mittere solitos. Hæc Beatus Rhenanus. Jam quomodo alii exponant hunc locum, porro per cipiamus. Cornel. à Lapide in Comment. in Ep. Pauli ad Hebr. cap. 13. v. 2. f. m. 975. b. cum itidem adduxisset hunc Tertulliani locum, fuisse dicit per contesserationem hospitalitatis ab Afro intellectum certum aliquod signum, quod qui attulisset, ubivis esse à Christianis tanquam Christianum, amicum & fratrem hospitio benevole exceptum. Hoc signum cum corrupissent hæretici, à Catholicis dicit sæpe mutatum, ac tandem commissum literis, quas decrevisse Patres in Concilio Nicæno, & appellasse formatas, & subscribi istis mandasse has quatuor græcas literas  $\pi. \nu. \alpha. \pi.$  Sacrosanctæ Trinitatis,  $\pi. \alpha. \tau. \delta. \varsigma. \upsilon. \delta. \& \alpha. \nu. \delta. \pi. \nu. \epsilon. \upsilon. \mu. \alpha. \tau.$  indices. Circa quam annotationem id desidero, quod non fuerit indicatum, quisnam è scriptoribus fide dignis prodiderit, fuisse in Concilio Nicæno hujusmodi Epistolas introductas: mihi sanè tam felici esse hætenus non licuit, ut vel unicum, cui placuerit ejus rei injicere mentionem, usurpare oculis potuissem. Equidem novi Gratiano placuisse distinct. 73. personati: adducto in rei fidem Attici Constantinopolitani testimonio, ista de re confirmare Lectorem; at Gratianum, fide dignum ne ipse qui-



quidem æstimat Natalis Alexander, Scriptor Pontificius, quando Synops. Histor. Eccles. sec. 4. dissert. 18. p. 243. postquam p. 240. proposuerat objectionem de falso jactato canone Nicæno, de modo Epistolæ formatæ conscribendæ, sic ait: *ad quartum respondeo, nullum de modo conscribendæ Formatæ Epistolæ canonem à Nicæna Synodo editum fuisse, & suppositum videri Attici Constantinopolitani testimonium: Siquidem Atticus ipse in exemplari Nicænorum canonum ad Patres Africanos in Synodo sexta Carthaginensi congregatos, misso, nullum impressæ illius canonis vestigium &c. Nec me Gratiani, illud in sua collectione referentis movet autoritas. Quis enim nesciat, Gratianum spurios canones à genuinis non satis discrevisse?* Hæc Natalis Alexander. Verùm mitto hunc, & in consilium adhibeo etiam alios super hoc loco Tertulliani, ut quid tandem habendum de eo sit, patefiat. Arndius in *Lexico Antiquitatum Eccles.* p. m. 389. proficitur itidem, per contesserationem intelligi à Tertulliano signum, idque poposcisse ab Episcopo Ecclesiæ suæ Veteres, peregrinationem suscepturos, & flagituros hospitium inter ignotos; majoris autem certitudinis gratia, ne tale signum corrumperetur, addidisse Episcopos literas, Formatarum nomine dictas, certa præferentes signa; & profert hanc in rem Concilii Milevitani canonem 20. sic sonantem: *Placuit, ut quicumq; Clericus propter necessitatem suam alicubi ad Comitatum (seu aulam Imperatoris) ire voluerit, formatam ab Episcopo suo accipiat.* Suicerus in *Thesaurio suo Ecclesiastico* t. 2. f. 35. citat quidem etiam hunc Tertulliani locum, & Formatarum etiam nobis commendat memoriam, sed ita, ut dicat, Episcopos Orthodoxos ejusmodi literas tanquam fidei suæ tesseras sibi invicem misisse, ut earum commercio societatem ejusdem Religionis, & stylo Tertulliani, *communione pacis & contesserationem hospitalitatis ostenderent; formatarum verò habuisse nomen, eò quod τῶρον seu formam signi Episcopalis gessissent impressam.* Tomafinus in suo libello c. 26. quamvis nonnulla ex Ambrosio, Augustino, & Paullino promat loca de hospitalitate illius temporis hominum satis clarè loquentia, nihil tamen exprimit unde hujusmodi tesserarum hospitalium ritus aliqua ex parte firmetur. At enim vero videtur se ipsum explicare, in eodem libro, alio loco Tertullianus, quando necopè cap. 36. edit. Rigaltii, de Romana Ecclesia loquens, hæc nobis subjicit: *Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit: Unum Deum novit, Creatorem Universitatis, & Christum Jesum ex Virgine Maria, Filium DEI Creatoris, &*  
*Garnis*



*carnis resurrectionem.* Intelligit ergo tum hoc, tum priori illo loco Tertullianus, Symbolum Apostolicum Romanæ Ecclesiæ, vetus, cuius & meminit Hieronymus, qui Romæ, adulta ætate, baptismo tinctus est, Epist. 61. adversus Johannem, Hierosolymitanum Episcopum, ad Pamnachim, to. 2. f. m. 173. his verbis: in Symbolo fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis, & unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis Sacramentum carnis resurrectione concluditur. Quamvis vero posteriorem illum Tertulliani locum, Beatus Rhenanus fol. m. 120. ita nobis exhibeat: videamus quid dixerit, quid docuerit. Cum Africanis quoque Ecclesiis contestatur: unum DEum novit, &c. nobis tamen ea de causa abdicanda non videtur sententia nostra, sed tenenda potius, vel propter hunc Casalii locum, è lib. de Urbe Rom. & imperio Rom. p. 283. tessera loco Christianis erat credo, quod Symbolum nominatur, ut illi agnoscerent, an veri, vel falsi essent. Ita Ruffinus Aquilejensis, Commentar Symbol. Propterea veteres Papa hoc non scribi membranis, sed retineri cordibus tradiderunt, ut certum esset, neminem hoc è lectione, sed ex Apostolorum traditione didicisse: Isidor. l. 2. c. 56. de Officiis, Rabanus Maurus Institut. Clericorum l. 2. c. 56. Allegat hunc B. Zimmermannus in Dissertat. Historico Theol. ad illud Tertulliani: fiunt, non nascuntur Christiani §. 203. p. 399. Cæterum ab Apostolorum traditione profectum non esse id Symbolum, cum alii demonstrarunt, tum imprimis Vossius Dissert. 1. de tribus Symbolis §. 14. seqq. p. m. XI. seqq. Sed nec hodiernum Apostolicum Symbolum Apostolos agnoscere autores, præter Vossium l. c. ostendit contra Papæos, Gisbertus Vjëtius Disp. Select. part. 1. p. 64. & speciatim contra Natalem Alexandrum, Doctorem Sorbonicum, Dn. M. Wilhelmus Ernestus Tenzelius in peculiari dissertat. de Symbolo Apostolico, Wittebergæ a. 1683 proposita.

Pergimus ad Tesseras frumentarias. De his clarissimè testatur Juvenalis Satyr. 7. v. 174. & 175.

*Summula ne pereat, quæ vilis tessera venit*

*Fru menti — — —*

**Accinit Persius in Satyra 5. v. 74.**

*Libertate opus est, non hac, ut quisque Velina*

*Publius emeruit, scabiosum tessera læ far*

*Posidet — — —*

Videatur Lubinus in hunc locum p. m. 87. Suetonius quoque de his in Augusto cap. 40. ac ne plebs frumentationum causa frequentius à negotiis



tiis avocaretur, ter in annum quaternum (in editione vetusta Philippi Be-  
roaldi lego quaternorum) mensium tesseræ dare destinavit. Sed desideran-  
ti consuetudinem veterem concessit rursus, ut sui cuiusque mensis acciperet. Ita  
nonnulli legunt; sed Marcus Antonius Sabellicus in Commentario  
sui quisque mensis, putat legendum: Sic enim legas, inquit, non cuiusque, ut  
quidam habent; ut sit ordo: concessit, ut quisque sui mensis tesseram acciperet.  
Hæc Sabellicus. Nunc ad rem ipsam. Sciendum nimirum est, tu-  
lisse initio plebem Romanam, soluta pecunia, quantum quisque  
cuperet frumenti, sed deinde Clodii rogatione, gratis inter eam fru-  
mentum divisum, & ei distributione qui præfuisset, salutatum Fru-  
menti Præfectum. Docet hæc nos Rosinus in Antiq. Rom. lib. 7. c. 34.  
p. m. 1168. sed alias circumstantias alii. Sanè verò annumerat plebi  
quoque milites Casaubonus in Notis ad Spartianum p. m. 364. ac disserit  
de tessera frumentaria militum Marcellus Donatus quoque, in Dilucida-  
tionibus ad Cornel. Tacit. l. 1. c. 25. apud Gruterum, Thesauri Critici tom. 6.  
p. m. 191. tabellam ligneam fuisse, certâ insignitam notâ, profitens.  
Sed ut ad Casaubonum revertamur, sustinet ille cit. loc. probare ex  
his Ælii Spartiani, in vita Severi, verbis: moriens septem annorum cano-  
nem, ita ut quotidiana septuaginta quinq; millia modiorum expendi possent, re-  
liquit: certum extitisse numerum horum hominum, qui frumentum  
è publico accepissent: quem Turnebus etiam in Adversar. lib. 19. c. 26.  
f. m. 613. ex cap. 41. Suetonii, in vita Julii Cæsaris, quo dicitur Juli-  
us ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum è pu-  
blico, ad centum quinquaginta retraxisse, firmiter omnino defendit.  
Præterea perspicimus clarè ex Ælii Spartiani c. 23. & verbis quidem  
citatis, legatam fuisse à Severo Imperatore, morituro, cujus vitam  
l. c. describit ille Historicus, certam populo frumenti quantitatem;  
unde liceat haud absurde fortassis, conjectare, à ditioribus aliis idem  
quandoque factitatum. Quicquid sit de eo, illud certò constat, in  
hunc usum exhibitas esse hominibus certas tesseræ, quas à Curatore  
frumenti capiebant, quibusque acceptis, ibant ad horrea publica. Vi-  
deatur Lipsius in Electis lib. 1. c. 8 p. m. 664. qui & alia ad hunc ritum  
pertinentia citato loco nobis revelat. Nimirum tradit locum, quo  
acceperint has tesseræ, quem fuisse dicit Minutiam frumentariam:  
(duplicem, innuit, fuisse hujus nominis locum, Minutiam veterem &  
Minutiam frumentariam, utramque vel à DEO Minutio, cujus inibi  
ara extiterit, vel à Minutio, primo frumentariæ rei præfecto sic  
nuncupata m) tradit tempus distribuendi eas tesseræ, quod dicit  
B prin-



principium cujusque mensis : tradit denique quantitatem frumen-  
ti, tesseris porrectis ablatam, quam quidem nec in Græca nec in Las-  
tina historia unquam, ait, expressam, arbitratur tamen, conjectur is  
inharens, minimum sex modios sive medium Atticum tulisse eo  
in mensem. Hæc ille. Sed de materia & forma harum tesserarum  
(nam & de iis dispiciendum) varii variè. Affirmat *Turnebus Advers.*  
*lib. 19. c. 26. f. m. 613.* frustilla fuisse lignea, quadrata, certa notata  
forma. *Rosinus Antiq. Rom. l. c. p. 1168.* addit, nonnullas hujus gene-  
ris tesseræ fuisse rotundas, & inde stabilit sententiam, quod *Dioni*  
*Cassio*  $\sigma\phi\alpha\epsilon\rho\iota\varsigma$  sive globuli appellentur. *Stevvechius in Annotat.*  
*ad Vegetii lib. 2. c. 7. p. m. 133.* opinatur, æneas fuisse nonnullas, & pro-  
bat sententiam ex Constitutione *Valentiniani & Valentis*, è lib. 5.  
*Cod. Theod. tit. de annonis civilibus.* Hæc de materia & forma.  
Extraordinario modo sparsas in populum fuisse *Suetonius* memoriæ  
prodidit in *Nerone* cap. XI. *sparsa & populo misilia omnium rerum, per o-*  
*mnès dies singula quotidie millia.* Avium cujusq; generis multiplex penus,  
*tessera frumentaria, vestis, aurum, argentum, gemma, margarita, &c.*  
Tandem & illud memoria dignum, quod tesseræ hujusmodi vendi-  
derint ii, qui possidebant, sicubi frumento non egerent, quod ex  
*Ulpiano* evincit *Turnebus Adversar. f. 613.* & ex *Juvenale*, & quidem  
*Sat. 7. v. 174.* supra cit. *Lipsius in Electis. l. 1. c. 8. p. 664.* Tantum de  
his.

Antequam descendamus ad alia, hic obiter &  $\omega\varsigma \epsilon\nu \pi\alpha\rho\theta\omega$  il-  
lud, jam dictis interferere juvat, quod olim certi milites fuerint no-  
mine *Frumentariorum* (Græcè  $\Phi\rho\upsilon\mu\epsilon\nu\tau\alpha\rho\iota\omega\nu$ , uti vocantur *Dio-*  
*nyso*, apud *Eusebium*) insigniti, famulati *Rektoribus* provincia-  
rum, & missi per provincias ad investigandos reos, & colligendos  
rumores: quos tandem, juxta nonnullos, *Constantinus* abolevit.  
Rationem denominationis hanc suppeditat *Casaubonus in Notis ad*  
*Scriptores Historia Augusta p. m. 49.* quod, ut *Athenis*, vetita ficuum  
exportatione, certi homines, jussi observare, qui legi non obsecun-  
darent, cum per calumniam innocentes multos, deferrent,  $\sigma\upsilon\nu\kappa\omicron-$   
 $\Phi\acute{\alpha}\nu\tau\epsilon\varsigma$  appellationem omnibus improbis de latoribus communem  
reliquerint: sic in *Romano Imperio* milites, qui ad perquirenda  
frumenta aut eos observandos, qui contra leges mercem  $\delta\iota\sigma\tau\omicron\pi\eta\tau\omicron\nu$   
exportarent, cum latius evagantes, omnium domuum secreta rima-  
rentur, servato veteri nomine, ministerium murârunt, facti *Princi-*  
*pum*  $\mu\alpha\rho\tau\alpha\rho\iota\tau\epsilon\varsigma$ . Meminit horum *Aelius Spartianus in Adriano Casa-*



re c. 12. & unius, Julius Capitolinus in *Opilio Macrino*, c. 12. Memi-  
nit etiam alicujus Dionysius, apud Eusebium in *Histor. Eccles. l. 6. c. 40.*  
f. m. 235. quo loco Eusebius illustre providentiæ divinæ exemplum  
de Dionysio in literas misit, quem jussus quæreret Frumentarius qui-  
dam, caligine divinitus immissa, in tantum cœcutiit, ut omnes per-  
vagaretur vias, fluvios & agros, ubi occultari, aut quâ transiturum  
esse Dionysium suspicaretur ( qui domi illum jam per quatrimum  
expectarat ) nec tamen reperiret domum, quæ foverat Dionysium,  
ac receperat. Conferatur *Valesius in hunc locum f. m. 130.* Addantur  
Dn. Zimmermanni *Analecta miscella menstrua, quâ mensem 1. p. m. 66, 67.*  
& Kortholdus *Tractat. de Persecutionibus & Cruciatibus Christianorum*  
in *Ecclesia primitiva p. m. 371. seqq.* Sed in orbitam & ad

## CAP. II.

**T**esseræ hospitales & frumentariæ fuerunt in oculis hætenus: de  
tesseris nummariis quoque videndum. Fuerunt hæ certa signa,  
quibus exhibitis promissi pro congiario nummi dabantur, uti descri-  
bit eas *Torrentius in Comment. ad Sueton. August. p. m. 194.* ac de his Sue-  
tonius in *Augusto c. 41.* *Frumentum quoque, inveniens, in annonæ dif-*  
*ficultatibus sepe levissimo, interdum nullo pretio viritim admensus est, tesse-*  
*rasq; nummarias duplicavit.* Hæc Suetonius.

Transimus ad olearias & cœnarias, sed de iis quoque brevissimis  
& quidem ex relatione *Torrentii & Stevvechii*, agendum. Ac *Tor-*  
*rentius* quidem in *Annotationibus ad Suetonii August. c. 41. p. m. 194.* ole-  
arias, quibus oleum, cœnarias, quibus cœna præbita fuerit latoribus,  
vocatas ait, quod & asserit *Stevvech. in Comm. ad Veget. l. 2. c. 7. p. m. 113.*  
provocans præterea ad nummos cura *Jo. Sambuci* divulgatos, qui  
tesserarum illarum memoriam commendent *Lectoribus.*

De tesseris rapinæ consecratis haud paulo plura *Scriptorum lo-*  
*ca* literis consecrare licebit. *Suetonius* in *vita Domitiani*, capite 4.  
*die proximo omne genus rerum misilia sparsit: & quia pars major intra popu-*  
*laria deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos Equestris ac Senato-*  
*rii ordinis pronunciavit.* *Dio Cassius* de *Augusto Cæsare lib. 49. Hist. Rom.*  
f. m. 417. C. hæc nobis commemorat: *σύμβολά τε τινα ἐς τὸ θεά-*  
*τρον, κατὰ κορυφὴν ἔριψε, τῶ μὲν δεξιέριον, τῶ δ' ἐξ ἡτά, τῶ*  
*δ' ἄλλο τι φέροντα, καὶ ἄλλα πάμπολλα ἄλλα ἐς τὸ μέσον κατα-*  
*θεῖς διαρπάσαι σφίσι, ἐπέτρεψε:* denique tesseras in theatrum de su-  
blimi



bli mi loco projecit, quibus argentum, vestis, vel alia quaedam res offerebantur; alias item multas res venales in medium propositas diripiendas vulgo concessit. Gemina his refert idem Historicus de Caligula l. 59. Hist. Rom. f. m. 647. Α. γυμνικόν τε τινα ἀγῶνα ποιήσας διέριψε σύμβολα, καὶ ἐξ αὐτῶν πλείυα τοῖς ἀρπάσασιν αὐτὰ διέδωκε, ludis Gymnicis tesseras projecit in vulgus, quas qui arripuissent, eos multis donis affectit. Cæteroque & nummos per aliquot dies in plebem sparsisse Suetonius testis est in eius vita c. 37. Non minus digna sunt notatu, quæ consignata reliquit nobis Dio de Nerone lib. 61. f. m. 698. Α. πάντα μὲν γὰρ τὰ ἄλλα τὰ τιμωτάτα, ἵππους ἀνδροπόδα, ζεύγη, χρυσίον, ἀργύριον, ἐδῆτα ποικίλην, ἐδίδε δὲ διὰ συμβόλων. σφαίρα γὰρ μικρὰ γεγραμμένη, ὡς ἕκαστα αὐτῶν τι ἔχοντα εἰς τὸν ὄμιλον ἐρίπτει, καὶ ἐδίδοσθε, ὅ, τι τις δι' ἐκείνων ἤρπασεν, etenim magnificentissima quaque & lautissima, quibus homines vescuntur, cæteraquæ omnia pretiosissima, equos, mancipia, vehicula, aurum, argentum, vestem diversi generis, in signis & notis quibusdam dabat. Faciebat enim ad plebem parvos globos inscriptos, quorum singuli aliquid eorum inscriptum continebant, & ut quisque signum collegerat, ita ei largiebatur. Conferatur cum hoc Dionis loco Suetonianus in Nerone cap. IX. contentus, & superius allegatus. De Titō quoque jucunda affert idem Dio lib. 66. f. m. 757. παρέχε δὲ τινα καὶ ἐς ὠφέλειαν φέροντα αὐτοῖς. σφαίρα γὰρ ξύλινα μικρὰ ἀνωθεν ἐς τὸ θέατρον ἐρίπτει σύμβολον ἔχοντα, τὸ μὲν ἐδωδίμῃ τινός, τὸ ἡ ἐδῆτα, τὸ ἡ ἀργύριον σκένυς, ἄλλο χρυσῆ, ἵππων, ὑποζυγίων, βοσκημάτων, ἀνδροπόδων, ἃ ἀρπάζοντες εἶδει πρὸς τὰς δοτήρας αὐτῶν ἀπενεγκεῖν, καὶ λαβεῖν τὸ ὄπιγεγραμμένον, sed & plebi utile fuit, quod Titus parvos globos ligneos de superiore loco jaceret in theatrum, in quibus scripta erat nota alicujus esculenti, vestisve, aut vasis argentei, aut aurei, equorumquæ & jumentorum, & pecudum ac mancipiorum: quos globos qui rapuisset, attulissetquæ ad dispensatores Titi, quod inscriptum erat, consequebatur. Hunc locum ad tesseras frumentarias militibus datas, trahit Marcellus Donatus in Dilucidationibus ad Cornel. Tac. Hist. lib. 1. c. 25. apud Gruterum Thes. Crit. tom. 6. p. m. 189. & exinde gestit inferre, tesseras frumentarias militibus impertitas aliquando fuisse rotundas: Sed verba hæc planè aliud loquuntur, uti patet. Cæterum & de his tessera loci adest Martialis lib. 8. Epigr. 78.

Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis,

Nunc dat spectatas tessera larga feras.

Conferatur Turnebus in h. l. Adversar. lib. 29. c. 9. f. m. 1044. Dicat aliquis:



aliquis: ex etymologia vocis colligo, tesseram signare id, quod est quadratum, sed loca posteriora Dionis Cocceji, jam adducta, rotunda nobis sistunt misilia, quæ disperferunt in populum Cæsares: qua ratione ergo vocabuntur tesserae? Movit hoc dubium Pignorium in *Comment. de Servio p. m. 157.* ut in hæc verba eruperit: *parvos autem globos ligneos, quorum meminit Johannes Xiphilinus epitomator Dionis, qua ratione ad tesseras referam, non video.* Sed placent ea quæ subdit: *neq; vero globulos illos & spherulas è tesserarum numero eximere consilium mihi omnino est, cum videamus non raro transire in aliam figuram res quæ ab arte sunt, manentibus tamen primigeniis nominibus.* Ergo ita saltem appellabuntur *ὀμωυύωσ.*

Monet res, ut jam à tessera raptui destinatis nos referamus ad lusorias. Loca plurima usum harum tesserarum Veteribus receptum indicantia, passim suppeditant autores, quæ forsitan erudito Lectori minimè erunt ignota. Vid. *Hadrianus Junius Animadversorum l. 2. c. 4.* apud Gruterum *Thesauri Critici tom. 4. p. m. 355. seqq.* & Dempsterus in *Paralipom. ad l. 5, c. 1. Antiq. Rom. Rosini. p. m. 676. seqq.* Nobis illud saltem hac vice observare libet, quod tessera lusoria Veterum, perinde ut nostris, fuerint inscripta puncta, certum numerum referentia, eaq; res stabiliatur autoritate Martialis lib. 14. Epigr. 17. hunc ludentis versum:

*Hæc mihi bisse no numeratur tessera puncto.*

Dempsterus in *Paralipom. ad Rosin. l. c.* hoc sibi permittit, ut non discernat talorum lusum veteribus itidem frequentatum, à lusu tesserarum. Verùm multa sunt, quæ validè nos cogunt, tesserarum & talorum lusum discriminare. Talus namq; lateribus constabat quatuor, tessera sex, uti monent *Cal. Rhodig. Lect. Antiq. lib. 20. c. 27. f. m. 956.* & Turnebus *Adversar. l. 27. c. 3. f. m. 950.* Porro pluribus ludabant talis Veteres, quam tessera. Martialis l. 14. Epigr. 15.

*Non sum talorum numero par tessera, dum sit.*

*Major quam talis alea saepe mihi.*

Conferantur in hunc versum *Philippi Beroaldi Annotationes* apud Gruterum *Thesauri Critici tom. 1. p. m. 206.* quo loco castigat quosdam, qui hæc Poëtæ verba de numero punctorum, quasi in talo plura, in tessera fuissent pauciora, erant interpretati, & hac eorum opinione rejecta, de numero talorum & tesserarum accipit locum, tribus luisse tessera Veteres, talis quatuor dicitans: quæ eadem est expositio & sententia *Calii Rhodig. l. c.* & Turnebi, *l. c.* qui posterior tamen



sibi ipsi contrarius *Adversar. lib. 9. c. 23. fol. m. 274.* tribus talis & sapi-  
us quatuor, tesseris vero duabus scribit lusisse Veteres: hoc ipso, iis  
quæ scribit *lib. 27. cap. 3. f. 950.* clarè adversans. Tandem certa no-  
mina erant jactuum, quos repræsentabant tali, sed non æquè, quos  
tesseræ. Vide nomina hæc evoluta à *Polydoro Vergilio de Invent. Rerum*  
*l. 2. c. 13. p. m. 134.* Quæ ex autoribus classicis possunt hauriri, hæc  
sunt. Jactum qui dicebatur Vulturius, subjicit nobis Plautus in *Cur-*  
*culione, act. 2. Scen. 3. v. 73.*

*CU. Tace parumper, jactit vultorios quatuor.*

Alium qui dictus Hercules Basilicus, sistit idem, *Comœd. cit. v. 74. & 75.*

*Talos arripio, invoco almam meam nutricem, Herculem  
Jacto basilicum.*

Alium, cui nomen Senio, & alium, cui nomen cani seu caniculæ, de-  
cantat *Persius Satyr. 3. v. 48. seqq.*

— — — *quid dexter senio ferret,  
Scire erat in voto: damnosa canicula quantum  
Raderet — — —*

Conferatur in hunc locum *Casaubonus p. m. 59.* Alium à Veneris no-  
mine nomen habentem, & simul illum qui à cane, memorat *Pro-*  
*percius lib. 4. Eleg. 9. v. 17. & 18.*

*Me quoq; per talos Venerem quarente secundos,  
Semper damnosi subsilire canes.*

Canis, & Senionis, & Veneris, mentio quoque fit apud *Suetonium*  
*in Augusto cap. 71.*

Hæc per occasionem de talorum lusa libuit commemorare, quo-  
niam differentiam inter hunc & tesseras vindicandi, præ sens labor &  
scopus imponebant nobis necessitatem.

Tandem etiam silentio prætereunda non sunt, quæ, ut ut paucis-  
sima, de tesseris negotialibus posterorum memoriæ mandare voluit  
*Casaub. in Animadvers. ad Athenæum l. 3. c. 32. f. m. 224.* tessera illa, inquit,  
quarum olim in contractibus usus, loco præsentis pecunie, *σὺμβόλη* dicebantur.  
En! simul addit quam sortitæ fuerint appellationem. Ac tantum de  
his etiam. Tendendum nunc est ad

### CAP. III.

**D**E tesseris militaribus in hoc ultimo capite agemus. Per tesseras  
militares hoc loco intelligimus eas, quæ ante conflictam datæ  
ab iis, qui summam habuerunt in bello potestatem, ideo, ut in ipso  
conflictu socii milites dignoscerentur ab hostibus. Quas antequam  
expo-



exponere instituamus, habet prius per saturam perlustrare alia quæ-  
dam signa militaria Veteribus non minus frequentata, quæ nostro  
quidem iudicio, non incommodè huc possunt referri. Versata ni-  
mirum fuerunt in usu Veterum, signa vigiliarum, & tesserae militares  
præceptivæ. De illis Polybius Histor. l. 6. fol. m. 479. edit. Casaub. τὴν ἢ  
τὴν περὶ τῆς συνθήματ' ὡς δόδοσιν ἀσφαλίζοντα τὸν τρόπον τῆτον.  
καθ' ἑκάστον γὰρ, καὶ τῶν ἰππέων καὶ τῶν πεζῶν, οἱ ἐκ τῆς δεκά-  
της σημαίας ἐν ταῖς τελευταῖοις μέρεσι στρατοπέδουσιν καὶ αὐτὰς ῥύ-  
μας, ἐκ τῶν εἰς ἑκάστης ἀντὶ λαμβάνεται κατ' ἐκλογὴν, ὅς τῶν μὲν  
καὶ τὰς φυλακὰς λειτουργῶν ἀπολύεται. ὡς γίνεταί ἢ καθ' ἡμέραν  
δύνοντι ἢ ἡλῆς, πρὸς τὴν ἑξαχίλιον σκηνὴν, καὶ λαβὼν τὸ σύνθημα  
(τὸ τοῦ ἐπιπλατείου ὀπιγεγραμμένον) ἀπαλλάττεται πάλιν. ἀνα-  
χωρήσας δ' ὀπί τὴν αὐτὴν σημαίαν, τότε ξυλήφιον παρέδωκε, καὶ τὸ σύν-  
θημα μετὰ μαρτύρων τῶ τῆσι ἐχομένης σημαίας ἡγεμόνι ὡς πλη-  
σίως ἢ πάλιν ἔστ' τῶ τῆς ἐχομένης. τὸ δ' ὅμοιον ἐξῆς ποῖσι πῶν-  
τες, ἕως ἂν ὀπί τῶν πρώτων καὶ συνέχῃσι ταῖς χιλιάρχοις στρατοπέδου-  
σας σημαίας ἐξικνήται. τῆς δὲ τοῦ πλατείου ἐπιφωτὸς οὐτ' ἀνα-  
φέρειν πρὸς τὴν χιλιάρχου, καὶ μὲν ἀνενεχθῆ, πάντα τὰ δοθέντα γι-  
γνώσκει, διότι δέδοται τὸ σύνθημα πᾶσι, καὶ διὰ πάντων εἰς αὐτὸν  
ἦκει, ἐὰν δ' ἐλλείπει τι, ὡς ἂν ὁδοὺς ζητεῖ τὸ γεγονός, εἰδὼς ἐκ τῆς ὀπι-  
γεγραφῆς, ἐκ ποῖος μέρους ἔχῃ τὸ πλατεῖον. ἢ δ' ἂν εὐρεθῆ τὸ κάλυ-  
μα, πυχάνει τῆς καθηκῆς ζημίας, in nocturna tessera traditione ne-  
quid peccetur, hoc cavent modo. In unoquoque genere equitum pedumque mili-  
tes decimi signi in externis partibus strigarum metantur. E singulis istis deci-  
mis ordinibus, unum inter omnes eligunt, quem ab excubandi munere liberant.  
Hic quotidie circa Solis occasum, ad Tribuni tentorium venit, & tessera accepta  
(ea est latior tabella inscripta) revertitur: qui ut ad signum suum est rever-  
sus, parvulum id lignum ac simul tesseram, adhibitis testibus proximi ordinis  
ductori tradit: ille similiter sequentis Centurioni: atque idem omnes deinceps  
faciunt: donec ad primos ordines, qui prope Tribunos tendunt, signum per-  
veniat. Hos oportet tabellam ad Tribunos referre, dum adhuc luct. Tribu-  
nus si omnes fuerint relata, quas dederat, cognoscit, tesseram ad omnes & per  
omnes ad se venisse. Sin desit aliqua, è vestigio qui factum sit hoc, inquirit:  
notum habens ex inscriptione, cuius partis tabella non sit allata, atque is per  
quem fecisse invenitur, multa condigna afficitur. Illustrat hæc verba  
multis scholiis Lipsius de Militia Romana l. 5. dialog. 9 p. m. 295. Porro  
de his signis idem Polybius libro eod. f. m. 480. sic loquitur: ὁ ἢ δίδωσι  
τῆς πᾶσι ξυλήφια καὶ φυλακῆν, βραχέα τελέως, ἔχοντα χαρακ-  
τήρα.



τῆς. Tribunus omnibus his pro singulis excubiis parvulas è ligno tessellas tradit oppido exiguas, quæ nota quadam sunt insignita. Et paucis interjectis fol. m. 481 pergit: τῶν δὲ ἐφ' ὧν ἕκαστος ἄμα τῷ φωτὶ πρὸς τὸν χιλιάρχον ἀναφέρει τὸ σήμημα. καὶ μὴ ἢ πάντα τὰ δεδομένα, χωρὶς ἐγκλήματ' ἀπαλλάττονται πάλιν. ἀν' δέ τις ἐλάττω φέρῃ ἔπληθυσ τῶν φυλακείων, ζητῶσιν ἐκ τῆς χαρακτῆρος, ποῖον ἐκ τῶν φυλακείων λέλοιπε. prima dein luce singuli qui perlustraverunt vigilias ad Tribunum tesseras deferunt: quæ si tot inveniuntur, quot fuerant data, inculpati discedunt: si pauciores aliquis referat, quam pro numero excubiarum, ex impressa nota, de eo excubitorum quaternione, cujus ratio non constat, inquirunt. Modestus quoq; de his in libro de Vocabulis rei militaris p. m. 366. edit. Vesal. Tribuni vel Centuriones, ceteriq; milites, ejus præcepta servabant vigiliarum sive protectionis.

A signis vigiliarum progredimur ad tesseras præceptivas. Livius Histor. lib. 27. c. 48. tessera per castra ab Livio consule data erat, ut Tribunum Tribunus, Centurio Centurionem, eques equitem, pedes peditem acciperet. Idem Livius l. 28. c. 14. tesseram vesperi per castra dedit (Scipio) ut ante lucem Viri equique pransi essent, armatus eques frenatos stratosq; teneret equos. Suetonius de Galba cap. 6. in vita ejus: solenni spectaculo plaudentes milites inhibuit: tessera data, ut manus penulis cogerent. Huc pertinet locus Vegetii de Re militari l. 2. c. 7. p. m. 35. 36. tessera autem dicitur præceptum Ducis, quo vel ad aliquod opus, vel ad bellum movetur exercitus. Eadem sunt verba Modesti in libro de Vocabulis Rei Milit. p. m. 365.

Dum de tesservis præceptivis sermo nobis fuit hoc loco, non possumus dememinisse illorum signorum, quæ data vel dari jussa ab Imperatoribus Romanis, suæ Prætoris cohortis Tribunis, in observationem custodiæ. Suetonius in vita Neronis cap. 9. Primo etiam imperii die signum excubanti Tribuno dedit optimam matrem. Idem in Caio Caligula cap. 56. primas sibi partes Cassius Cherea, Tribunus Cohortis prætoris, depoposcit: quem Cæjus seniore, jam ut mollem & effœminatam denotare omni probro censuerat, & modò signum petenti Priapum, aut Venerem dare &c. Idem in vita Claudii cap. 42. excubitori Tribuno signum de more poscenti, non temere aliud dedit, quam

Ἄνδρ' ἐπαυνοῦσθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπαίνῃ.

Ælius Spartianus in vita Severi cap. 23. jussit deinde signum Tribuno dari, Laboremus. Julius Capitolinus in vita Pertinacis Imperatoris cap. 5. p. m. 304. sic de eo: petenti signum prima die Tribuno dedit, Militemus, ex  
prebrans



probrans utiq; segnitiam temporum superiorum, quod quidem etiam ante in omnibus ducatibus dederat. Idem Julius Capitolinus in vita Antonini Pii c. 12. signum Tribuno æquanimittatis dedit. Sed hæc ultima verba Capitolini mirè torserunt erudita ingenia. Putat Turnebus *Adversar. lib. 25. cap. 18. f. m. 890.* hunc locum explicans, signum quoddam ab Imperatore gestu manus vel corporis datum, quod cupivisset significare æquo animo se de vita decedere. Aliter vero *Andreas Tiraquellus*, qui in *Annotationibus ad Alexandri ab Alexandro D. G. lib. 4. c. 2. f. m. 444.* signum æquanimittatis capit de sigillo imperatorio, quo in suis literis fuerit usus Imperator. Hos erroris postulat *Marcellus Donatus in Dilucidat. ad Julium Capitolinum*, apud Gruterum, *Thesauri Critici tom. 6. p. m. 886.* ego sanè miror, inquit, *Doctissimos Viros adeo lapsos in re sane plana.* Nam Imperatores sua Prætoria cohortis Tribunis signum custodia dare solitos, passim observamus.

His præmissis ad Tesseræ militares strictè dictas, sive illas, quarum data à nobis descriptio in verbis superioribus, facimus accessum. Ante omnia vero libet hic inspergere aliquid, de primo harum tesserarum inventore. Palamedi transcribit earum inventionem *Plinius in Histor. Natur. l. 7. c. 56. p. m. 479.* ordinem exercitus, inquit, signi dationem, tesseræ, vigiliæ, Palamedes invenit Trojano bello. Huic subscribit *Polydorus Vergilius de Invent. Rerum lib. 2. c. 10. p. m. 122.* Nec abest *Stevvechius in Comment. ad Veget. l. 2. c. 7. p. m. 134.* Verùm perspicacior extitit hac in re *Lipsius de Militia Romana l. 5. dial. 9. p. m. 296.* qui fidem abrogat *Plinio*, eò quod Græci Scriptores Palamedi non nisi tesseræ lusorias assignent. Et probat assertionem non modo ex *Sophocle*, sed & ex *Gorgiæ oratione pro Palamede*, *Alcidama contra Palamedem*, & *Pausaniam*, aliosq; idem retulisse in literas, affirmat. Quæ dum scribo, venit mihi in mentem eorum, quæ *Cælius Rhodiginus Lect. Antiq. l. 20. c. 14. f. m. 939.* proponit nobis, quippe qui eo in loco nobis significat, aliquot ex Græcis memoriæ prodidisse, alæ lusum & tesserarum excogitasse *Lydos*: quam, ex *Herodoti relatione*, sententiam arripit quoque *Polydorus Vergilius de Rer. Invent. l. 2. c. 13. p. m. 132.* Palamedem descendisse ex natione *Lydorum*, nemo, quod sciam, *Scriptorum* tradidit: constaret vero clarissime, non longè disfidere illos Græcos, quos citato loco producit *Lipsius*, ab his, quos laudat *Cælius*, si quis è fide dignis tradidisset. Tradidit vero, uti dixi, nemo; imo nec illud ullus è probatis *Scriptoribus*, quisnam tesserarum militarium fuerit inventor. Ergo silentium & nobis, & promendæ tesseræ ipsæ.

C

De





De his in genere canit Virgilius l. 7. Æneid. v. 637.

*Classica jamq; sonant : it bello tessera signum.*

Claudianus etiam l. 1. de laudibus Stiliconis v. 331. seqq.

*Neglectum Stilico tot jam per secula morem*

*Rettulit, ut ducibus mandarent praelia Patres,*

*Decretoq; togæ felix legionibus iret.*

*Tessera — — — — —*

In specie de tessera à Bruto data, Plutarchus in ejus vita t. 1. Opp. f. m. 995. B. ἐπὶ ἡμετέροις τῶν ἰσορῶν, ὅτε τὴν τελευταίαν ἐν Φιλίπποις μάχῃ, ἐξήκει μάχην, σύνθημα παρ' αὐτῶν τοῖς στρατιώταις ἀπόλλωνά δοθῆναι ad hæc scribunt, cum ad novissimam in Philippis committendam pugnam procederet, signum militibus eum dedisse, Apollinem. Tesseram Cæsarianorum & Pompejanorum, in prælio inter Pharsalum & Hæmen Enipeum gesto, nobis declarat Appianus de Bellis Civilibus l. 2. p. m. 780. οἱ μὲν δὲ τοιαύτῃ κατ' ἀλλήλων ἐμνηστεύοντο, καὶ ὁμοῦ ἐκάστου, καὶ διὰ μὲν τοῦ αὐτοῦ ἐπέγοντο, καὶ ἐς ἑσπέρια ὄψα λαβόντες, καὶ τὰ σύνθημα αἰαδιόοντες, ὁ μὲν Καῖσαρ, Ἀφροδίτην νικηφόρον, ὁ δὲ Πομπήϊον Ἡρακλέα ἀνίκητον, atq; ita utrinq; artibus utebantur adversus alteros, ducibus ordines obeuntibus, & quod opus erat, providentibus, suosq; ad rem fortiter gerendam cohortantibus, & tesseram dantibus, Cæsarianis, Venerem Victricem, Pompejanis, invictum Herculem. Multas simul comprehendit Vegetius de Re Militari l. 3. c. 5. p. m. 65. vocalia signa dicuntur, quæ voce humana pronunciantur, sicut in Vigiliis, vel in prælio profigno dicuntur: ut puta victoria, palma, virtus, Deus nobiscum, triumphus Imperatoris, & alia. Addit idem Scriptor l. 2. c. 7. p. m. 35. tesserarum fuisse nuncupatum eum, qui tesseras per contubernia militum nunciavit; quod & Modestus confirmat in lib. de Vocabulis rei militaris p. m. 365.

Plena manu spargit hæc tesseras, sed non satis cautè Alexander ab Alexandro Dierum Genialium l. 4. c. 2. f. m. 443. his verbis: (animadvertimus tesseram) fuisse in castris divi Cæsaris Venerem genitricem: in Pompeji Magni Herculem in victum: in Pompeji juvenis, pietatem. In Antonii exercitu Lar Deus fuit, in Syllæ autem Apollo. Neronem vero optimam matrem militibus tesseram dedisse tradunt. Ipseq; Divus Cæsar quandoq; Felicitatem, nonnunquam victoriam militibus tesseram proposuit. Brutus in Philippis Apollinem, Cyri autem tessera fuit, Jupiter belli socius & dux. Divus vero Antoninus, Æquanimittatis: C. Caligula Priapum & Venerem Cassio, tanquam molli & effœminato, signum dedit: adeo Severus Septimius, labore-

enus:



mus: Pertinax verò, Militemus. Claudius Casar græc anico versu definivit tesseram, in hæc verba: Virum ulcisci decet, quando quispiam prior injuriatur, sive molestus est. Demetrius Jovem & victoriam militibus edixit tesseram. Fertur Antiochus cognomento Soter, adversus Galatas ducturus, signum proposuisse, Bene valere. Et Mecænas quoties in castris ducis fungebatur officio, distincti tesseram dedisse. Verum enim vero ut laudabilis sit omnino conatus Alexandri in describendis tesseras militaribus Veterum, non tamen se probaverit illis (certo scio) qui jam ex superius allatis adverterint, discrimen esse longè maximum inter signa illa, quæ dederint Cohortis Prætoris Tribunis Cæsares, & tesseras militares, quarum in pugna contra hostes usus Veteribus. Quod discrimen ne quis dubitet, quin confuderit hic Scriptor, faciunt verba præcedentia, quæ cum sequentibus immediatè connexuit, hujus sensus: animadvertimus, tesseram fuisse symbolum bellicum & signum, quo socii milites dignoscebantur ab hostibus, ut pro quibus, & contra quos arma sumerent, constaret. Quibus verbis prolatis, illico, nec ulla penitus interserta cautela, se confert ad enumerationem exemplorum, quæ hoc loco sunt ex ejus codice in hanc paginam conjecta. E quibus nil aliud quàm confusio resilit apertissima: quæ & Stevachio Alexandrum secuta accidit in Comment. ad Vegetium p. m. 271. Sed & Tiraquellus in Alexandri verba virgulam expediit censoriam. Per Cyrum enim, cujus allata tessera ab Alexandro, Majorem intelligi oportere significat: quandoquidem minoris Cyri tessera fuerit Jupiter Servator & victoria. Porro profiteretur, per Antoninum, cujus attigit tesseram Alexander, Pium debere intelligi: ipse tamen Antonino Philosopho etiam placuisse hanc tesseram, non diffiteretur. Deinde statim subjicit, hæc utriusque Antonini signa non militaria fuisse, ut superiora, quæ expressisset Alexander, sed insignia vel sigilla Imperatoria, quibus usi fuerint in suis literis Imperatores. Verum tamen ex parte vera loquatur hic Censor, ipse tamen Alexandrum castigaturus, labitur in eo, quod per signa illa, insignia Imperatoria intelligat, de quibus jam dictum in præcedentibus.

Hactenus de tesseras militaribus Gentilium. Restat ut ultimò etiam, sed strictim occupemur circa tesseras militares Christianorum. Cum Henricus I. Auceps dictus, Imperator Germanicus, signa conferret cum Hungaris, prope Marrisburgum (id quod evenit seculo decimo) tessera militaris ex parte Henrici per exercitum ibat

*ut* *se*, seu ut integrè describit Urspergensis Abbas, Kyrie eleison:



ex Hungarorum parte vox Hui Hui, excitandi significatu, ut putat, qui has utriusq; partis tesseras annotavit, *Baierus in Commentario de Rebus Seculi à Christo nato IX. & X. p. m. 262.*

Alia tesserae audiebantur in praelio prope oppidum Winßberg/ Anno 1140. inter Fridericum, Ducem Sueviae, Caesari Romano, Conrado, auxilio venientem, & Welphonem, Ducem Bavariae, gesto, cum Welphonis quidem milites clamarent hie *Welß*/ Caesariani contra hie *Weiblingen*/ quod Conradus Caesar in eo castro natus & educatus fuisset. Itali inde vocabulum *Weiblingen*/ mutarunt in Gibelinorum nomen. Atque in hac pugna dicuntur cognomina Welforum & Gibelinorum orta. Vid. *Calvisius in Chronolog. sub anno 1140. f. m. 761.*

Cum hoc nostro seculo Bohemi, detrectantes obedientiam Imperatori, Ferdinando II. Regem sibi eligerent Electorem Palatinum, Fridericum V. & ille amplecteretur Dominium sibi oblatum, Pragamque concederet, sed tempore sequenti imminere sibi cerneret Caesarianos, de Summa Rerum cum ejus copiis dimicatu-  
*Sancta Maria*, ut nos docet *Gramondus Historiarum Gall. lib. 4. p. m. 253.* (quo in libro praeter alias res Germanorum, bellum Bohemicum, & Friderici, Electoris Palatini, casum fuisse persequitur) qui & addit p. c. idem nomen Caesarianis in praelio adversus Ottomannos ad Nau-  
pactum pro tessera fuisse.

In notabili illo praelio, quod itidem hoc nostro seculo inter Gustavum Adolphum, Sueciae Regem, Heroem Incomparabilem, & Reverentissimae Domui Saxonicae pro libertate Religionis pugnantem, immortalis sua & ad omne aevum duratura gloria, succurrentem, & Caesarianos prope Lützenam fervebat, Regi Sueciae tesserae erant verba *Gott mit uns*/ Fridlandiae vero Duci, *JESUS MARIA*: in quam utramque tesseram compositum epigramma exhibet *Theatrum Europaeum* (quod & certiores nos reddit de tessera illa Regis Sueciae & Ducis Fridlandiae) *part. 2. ad an. 1632.* in diagrammate, quo Regis & Caesarianorum representatur acies, fol. m 747.

*Orat uterq; Ducum, nec vincit uterq;, salute*

*Fortis hic est hominum, fortior ille DEI,*

*Tantum*

*Δόξα Πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι.*

**F I N I S.**











Leipzig, Diss., 1688

ULB Halle 3  
004 777 085



f

Sb.


VONA











N<sup>o</sup> 12  
1688,9  
12  
FA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

De

ARIIS TESSERA-  
M VETERIBUS  
SURPATARUM  
GENERIBUS,

AT BREVISSIME ATTINGUNTUR TESSERÆ  
MILITARES CHRISTIANORUM,

*Superioribus Consentientibus*

P. P.

à

JOHANNES MOEBIUS,

Martisburgensi, S. S. Theol. Baccalaureo,

RESPONDENTE

GOTTFREDO Steinbrecher/  
Lüzena Misnico,

Die 28. M. Martii, A. C. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> LXXXIIX.

LIPSIÆ,

Literis JOHANNIS COLERIANIS.

2 1/2

